

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,  
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &  
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque  
obeundi**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniæ, 1690**

VII. Consideratio & Affectus de Bonitate Dei. Sabbatho.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](#)

sum, ut doctior & sapientior videar hominibus, sed ut gloriam tuam, & salutem meam, aliorumque; promoveam. Doce me aeterna despicere, praesentia fastidire, aeterna querere, aeterna sapere, honores tuge, scandala sufferre, omnem spem in te ponere, nihil extra te cupere, & super omnia ardenter te amare. Thom. Kemp.

VII. Consideratio & Affectus

de Bonitate Dei.

SABBATHO.

EGO ostendam tibi omne bonum, ajebas olim Moysi, Deus optime, maxime, omne scilicet bonum naturale, morale, & communicativum. In primis regno in te omne bonum naturale: nihil enim tibi deest ad perfectionem naturam pertinens: quidquid bonitatis dispersum est in Angelis, Hominibus, ceterisque creaturis, hoc omne est in te perfectissime & eminentissime collectum. O stultitiam mortaliuum! qui umbram sectantur, solem relinquent; particulam ambiunt, totum negligunt; guttulam captant, mare bonitatis infinitum prætereunt. Doleo me aliquando fuisse de eorum numero: confirmet

met me Domine, vis admiranda efficacissimi Sacramenti, ut in posterum nunquam eò stultitiae prolabar.

II. Tu quoque, mi Deus, es *omne bonum morale*, quod est justitia & sanctitas: tu enim justus es in omnibus viis tuis, & sanctus in omnibus operibus tuis: radix, origo, exemplar, finis, regula & lex aeterna omnis justitiae & sanctitatis. Sancti tui habent aliquam à te sanctitatem, sed non omnem: alius enim justitiam, alius prudentiam, alius fortitudinem, alius temperantiam, humilitatem aut charitatem. Tu verò, ô Deus! es omne bonum, omne justum, omne perfectum & sanctum. Quanti igitur te æstimare, quantum diligere te debedo? si æstimo & amo ob fidem eximiam Petrum Apostolum, ob charitatem ardentem Paulum, Brunonem ob silentium & solitudinem, Franciscum ob humilitatem & paupertatem, Ignatium & Xaverium propter obedientiam & animarum zelum: quâ estimatione, quâ dilectione te complector ô omne bonum meum! diligo te Domine, sed dum accedo ad te, hoc epulo sacro ita amorem ex-

cra

cacif. tita, ut in verbis non sistam, sed reipsâ ju-  
 quam stitiam, perfectionem & sanctitatem con-  
 nebo sester: sic enim jubes: *Sancti eritis quo-*  
*niam ego sanctus sum.* Levit. 11.

III. Es etiam, ô Deus, *omne bonum*  
*communicativum*, & diffusivum sui, in  
ipsa benignitas & beneficentia: veluti vas  
superplenum se continere nequit, quin  
effluat: sic tu, optime Deus, omnibus bo-  
nis redundans, & infinitam propensio-  
nem habens te bonaqua tua communi-  
candi, continere te nequis, quin ea li-  
beralissimè profundas. Ex hoc infinito  
Bonitatis Oceano profluunt in primis ve-  
lor quatuor Paradisi flumina, quatuor  
gradus boni naturalis. 1. *Esse corpore-*  
*um in cœlis, stellis, elementis, lapidibus*  
& mixtis. 2. *Vita vegetativa in arbori-*  
*bis, floribus & herbis.* 3. *Vita sensitiva*  
*in animantibus, volucribus & piscibus.*  
4. *Vita spiritualis in Angelis & Homi-*  
*nibus.* Profluunt deinde quatuor alii ex-  
cellentiores communicandi modi: nam  
prioribus non contenta fuit divina tua  
Bonitas, sed alios atque alios excogitavit:  
mirum I. Gratiam supernaturalem, quæ  
nos

nos divinæ reddit naturæ consortes. 2.  
 Gloriam cœlestem , quâ similes ei reddi-  
 mur. 3. Personam Filii Dei naturæ hu-  
 manæ communicatam , quâ fratres ejus  
 efficimur. 4. Divinitatem & Humaniti-  
 tatem Christi communicatam in sanctissi-  
 mo altaris Sacramento, quâ intimè ei con-  
 jungimur. O quas gratias referam Bono  
 infinito, tot, tamque mirabilibus modis se  
 nobis communicanti ? quam æquum est,  
 ut ex toto corde, ex tota animâ , atque ex  
 omnibus viribus te diligam : ut totum id,  
 quod à tua Bonitate accepi, in eadem sine  
 fine diligenda occupetur? O Anima mea!  
 Ecce, ego ostendam tibi omne bonum, in  
 sacra scilicet Hostia absconditum : ibi est  
 omne bonum naturale , morale & com-  
 municativum : quanta tua est felicitas ! si  
 illud dignè suscipias ! quomodo non eva-  
 des ex mala tota bona, justa, perfecta, san-  
 cta? accede, anhela, festina, totum pande-  
 sinum cordis, & accipies. Amen.

### SUB SACRIFICIO.

Considerationes varias, præparatoriū  
 considerationibus & affectibus variis ac-  
 commoda, totoque Sacrificii tempore  
 L.Com.

